

Bibliothèque numérique

medic@

**Bertin, Exupère-Joseph - candidat /
Bertrand, Thomas-Bernard -
président. - An Ars medendi tota in
Observationibus ?**

1739.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°131***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0131](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0131)

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ
Decembris, M. DCC. XXXIX.

M. THOMA-BERNARDO BERTRAND,
Doctore Medico, Præsîde.

An Ars medendi tota in Observationibus?

I.

ORTUM ducit homo ex minimis; verme, ovo, aut utroque. Ex his fervet intus opus, vixque distinctæ particulæ sensim evolvuntur. Cor primum saliendo trepidat; partes, exin delineatæ, clanculum formantur, arteriæ pulsant. Interim ita reditque sanguis, & ita crescit embryo, membranis obvolutus. Nono tandem mense, ne dixerim, incerto, foetus editur in lucem viviparorum more. Quot in instanti prodigia! Pellitur ex utero; membranis spoliatur; explicatur pulmo; spirat, clamat recens natus. Umbilicalia vasa, ligamenta fiunt, canalis arteriosus, & foramen ovale cordis, paulatim & in posterum occluduntur: arteriæ pulmonares expanduntur, itemque venæ: nova fit sanguinis circuitio, novus aer, nutritio nova, altera machina. Antequam fiat, quot obices! numera, si possis. nascitur: An parentum deliciae? num tormenta? Quidquid sit, suas vix natus infans pœnas luit ineluctabiles. Jam urgetur meconio, vexatur torminibus, spasmo torquetur. Infelicior belluâ, alieno frequentius alitur lacte. Inter hæc, capsulæ atrabiliaræ decrescunt, sensim extenuatur Thymus, dentes infausto sæpius omine gengivas perforant. Hæc & illa, (nam mitto varia conformationis vitia erranti tribuenda naturæ) aliaque plurima fiunt & nova, donec pubertatis tempore, ingens incidat corporis mutatio. Mirandi sanè locus, quæ foetus vitam hauserit, quæ vivat infans, quæ homo spiritum tracturus sit? Is, non corpore tantum, sed & mente læditur. Animi pathematis obruitur undique: metuit, cupit, doletque, & gaudet. Amore rumpitur, delirat ambitione, odio vesanit, stupet timore. Nulla non ætas, aut sexus est, qui suos non patiatu manes. Id-circò, quæ levaretur homo, orbis decus & imago Dei, quædam opus erat arte. Hanc Altissimus dedit. Ne mireris ergò, si à primis parentibus excultra Medicina sit. Ejus nusquam non fuit necessitas. At ars illa præstantissima est, ubi certissimas medendi præscribit leges. Quæ sint? Medicinæ leges curantis morbos, dixeris easdem atque naturæ operantis.

MEDICINA ergò non inanibus vagatur conjecturis. Quibus legibus florebat olim, nunc iisdem firmatur & certioribus. Natura idem monstrat iter : at altiùs jacta sunt Medicarum fundamenta legum. Anatomem, utramque Pharmaciam, Botanicem, cæteraque consulas. Ars medendi tota nititur duce naturâ. Hæc quæ sit, paucis excipe. Orbis universi pars superior, cælum; aër, media; infera, tellus. Cælo, sidera; aëre, volitantia; terrâ, animalia, herbæ, metalla. Ità singulis natura propria est, omnibus provida. Lucet adhuc immutabilis ille ordo. Perennes cælestium orbium motus constantissimâ feruntur lege, repetunt, iisdem absolvuntur circuitibus. Eorum facies, ortus, occasus, discessiones, cœtus, periodici. Equabili & semper certâ delectatur cælum varietate. Quale ab incepto processit, tale constat. Elementa, corpora simplicia, ex quibus, quæ extant, componuntur, & in quæ resolvuntur ultimò, nùm diversa sunt? singula perscrutare. Metalla, mineralia, terræ visceribus generantur, crescunt, adolescunt, maturantur. Ex carceribus effodiuntur magnâ vi; sed quidquid opinio, subdola posteris, effinxit, nihil inde mutationis est. Ab omni ævo, maria, flumina, fontes, terram dividunt. Per cœcos adhuc telluris mæandros in terrarum abditis decurrunt aquæ. Hæ per metalla, illæ per mineralia, vim dotesque quærunt. Animantia, ut herbæ, præscriptis degunt locis. Singula spiritus idem intus alit: idem aër ubique diffunditur. Is vitietur interdum adventitiis miasmatis? Ejus motus idem, idem elater, purus & pellucidus affulget, magnoque se miscet corpore. Sic natura tota suæ retinet adhuc originis solertiam: suos servat adhuc partus & modos: viget splendetque singulorum & omnium integritas. Atqui, ut naturæ, ità artis Medicæ eadem fundamenta, certa, constantia. Leges Medicinæ sunt naturæ leges. Utriusque par conditio, eademque concordia. Quò hæc vergit, eò ducit illa. Ad quid, naturæ foras propellentis conamina? Quid varices, pustulæ, erysipelata, hæmorrhagiæ, certâ vel non recurrentes periodo: id genus alia conantis naturæ indicant tentamina? Nùm inde, scarificationes, cucurbitulæ, hirudines, phlebotomia, aliæque sanguinis detractiones, per venas arteriasque? nùm tenuior victûs ratio? nùm exercitatio solito major, ad sanguinis imminutionem, perspirationemve reparandam, imperatur? A naturâ tentata priùs fuscæque dejectio, hanc eadem rimata Medicina est catharticis & emeticis. Morbos ipsa creat quandòque natura salutare: remedio febris est. Hæc tetano, convulsioni, attonito morbo, ebrietati, fert opem. Varices, alvi fluxus, hæmorrhoides, itèm auxilio sunt, lippitudini, ophthalmiæ, surditati, febribus, Hydropi. Quis artis Medicæ sciens dubitaverit, finiisse lethargum parotide? Hæ-

morrhoidibus melancholiam? apoplexiam paralyſi? alvo bilioſâ ſurditatem? longas alvi dejectiones vomitione? cruentas per os foeminarum vacuationes profuſis menſibus? Sic, naturâ priûs monſtrante viam, malum Medicina levat, morboſque in remedia convertit. Interdum morbos novat, novos auget & accendit. Id ſanè non immeritò. A nobili ad ignobilem locum ita mutatio fit, & judicatio. Ars naturam juvat, ipſam ſequendo ducem. Procùl ergò temeritas audax ardelionis & ſycophantæ, qui, id quod rectum & ſapiens eſt, periculoſum inſipienſque reddit.

III.

VIGENTI naturæ micantis adhuc aurêâ ſimplicitate, tenuis erat agricultura atque Medicina. Hæc ſanitatem promittebat ægris, illa ſanis corporibus alimenta. Utriuſque tunc par neceſſitas & exigua ſupellex. Tot homines, tot agricolæ, tot Medici. Primùm exulta Medicina eſt apud Chaldaeos, Phœnices, Babilonios, Aſſyrios, Ægyptios, qui populi antiquiores noti, ægros in viis publicis curandos à quibuſcumque obviis & prætereuntibus exponebant. Primam hanc, rudem adhuc, ſed inſitam, auxêre ſors & experientia Medicinam. A mutis animantibus, nec pauca reperta ſunt remedia. Ex venâ in crure vulneratâ, ſanguinem extrahere aduncitate roſtri Hippopotamus; Ibis roſtri longitudine, ano reddi ciborum onera, indicarunt. Hæc duo, ſorte detecta primùm, in uſus hominum ceſſere experientiâ. Indè Melampus, ex obſervatis priûs vaccis, purgatis elleboro, earundem lacte poſteâ expurgavit Regis Præti filias. In poſterum experta inexpertis miſcebantur. Ab obſcuris & fortuitis, ex in exploratis, quæſierunt jam naturæ miniſtri, ea, quæ experientia in ipſis docuerat curationibus. Ab experimentis, prout cuique reſponderant, medendi traxerunt vias. Hæc inter inîcia, nondum à quæſtionibus, ſed tota ex uſu deducta Medicina eſt. At ſi jam incidebat aliquod mali genus incognitum, cui morbo id proximum eſſet, inquirebant. Tentabant tunc remedia ſimilia illis, quæ vicino malo ſapè ſuccurrerint, per ſimilitudinem, opem ferebant. Sic levis incepit experientia. Ideò, qui vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtiliùs excoluerunt, Hermes, Apis, Æſculapius uterque, Apollo, alique in deorum numerum recepti ſunt. Hinc ſinguli populi primos terrarum orbi Medicos dediffe glorientur. Reverà Medicinæ Θεῶν π: nec mirandi locus, ſi medendi ſcientia, ſapientiæ pars habita ſit. Multos ex ſapientiæ Profeſſoribus, peritos ejus fuiſſe, quis nescit? Ità tandem inventâ priûs, tum aliorum ſalute, tum interitu aliorum, Medicinâ naturali interruptâ nuſquàm, Medicina rationalis quæſita eſt. Thales de re Phyſicâ, (quadreſimâ Olympiade) primus aliquid ſubodoratus eſt. Pythagoras, (Olympiade ſexageſimâ) & diſcipuli Empedocles, Alemæon, cæterique ratiocinati ſunt. Secutus eſt Democritus,

A ij

aliique non pauci, qui incidere corpora mortuorum, eorumque scrutati sunt viscera. Eadem hæc circa tempora Hippocrates, (Olympiade octogesimâ) vir insignis arte & facundiâ, à studio occultioris Philosophiæ, Medicinam primus separavit. Ejus filii, & Praxagoras, & Diocles, plurimique discipuli pari modo artem exercuerunt. Chrysippus, Erasistratus, Herophylus, Medicinam vario systemate innovarunt, & intimius penetrarunt Anatomiam. Postea Serapio, Phyllinus, nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad Medicinam profitentes, eam in usu experimentisque posuerunt. Hos duces, nec pauci, nec mediocres viri secuti sunt. At Asclepiades, quo quidem Medico amicoque usus est Tullius, rerum causas inquirendo ratione & conjecturis artem Medicam stabilivit Romæ. Ex Asclepiadis successoribus Themison Medicinam instituit methodicam, quam professi sunt Thessalus, Soranus, Cælius Aurelianus, aliique complures, quorum ex numero Celsus. Is præcipue Hippocratis & Asclepiadis scripta assidue legit, & pleraque, circa tempora nascentis Christi, Latina fecit eleganter. Post Celsum Galenus, Marci Aurelii tempore, Hippocratis doctrinam egregie commentatus est. Exin Arabes magnâ ex parte immutarunt rationes medendi, idque effecerunt in iis, quæ ad morborum curationes pertinent; sed medicamenta, quorum pleraque veteribus Græcis erant incognita, in usum vocarunt. Hi tamèn nihil innovarunt in scientiâ, quæ causas explorat morborum, nisi quod, dum Græcorum mentem non bene percepere, præcipientes se dederint multos in errores. Ità ab Ægyptiis ad Græcos, à Græcis ad Romanos & Arabes, ars Medica, & præcipue à Græcis ad nos propagata est. Per hos quidem maximè viros, salutaris ista nobis professio increvit in dies oculatior. At, quia & experientia sæpius fallax, & difficile judicium sit; quia pro naturâ locorum, genera Medicinæ differant; quia hanc scientiam non semper subjiciat evidens causa; quia aliter morbis acutis, vetustis aliter, aliter incrementibus, subsistentibus, desinentibus medendum sit, & grassantibus Epidemicis; ideo à certis & exploratis præsidium petendum est. Horum omnium compendium est, observatio. Hæc certissimas medendi præscribit leges.

I V.

OBSE RVATIO, expressa imago est naturæ operantis. Ejus modos, mores, periodos, leges, motus, mutuatur & repræsentat. Indè temporum oportunitates curationum sunt animæ, earumque observatio, finis est. Non igitur essentiarum systematumque, undè à Philosophiâ separatio; sed ex veris causarum effectibus, inquisitio est, quæ meditatione, judicio, experientiâ, ratione, fulcitur. Cùm Erasistrato teratur in ventriculo cibus; cùm Pithagorâ putrescat; coquatur cum Hippocrate per calorem; quid indè? Id parùm inter ipsos constat. Latentes causas non comprehendi posse, patet ex eorum, qui

de his disputarunt, discordiâ. In essentias evagando rerum, quid profis? Talis disquisitio dubitantem Philosophum, non Medicum observantem efficit. Ideò morborum causas altius inquirere, An à fluidis, solidis, coagulatione, colluvie serosâ, calore, spiritibus, variâ pororum diametro & configuratione, vitiato motu sanguinis, ejusdem ex lege circuitu, fermentis, aliisve causis parùm evidentibus, tot questionum argumenta; sicut & eorundem morborum curationem desumere à characteribus & verbis, vi quâdam magneticâ, id genus occultis; Id omne sagacis sit animi, certè dubitantis est. Ista naturæ ulterior contemplatio, ad artem medendi propriè non pertinet; inquirentis Philosophi, non certò medentis, ingenium excitat. Non indè Hippocrates, Herophylus, Erasistratus, Asclepias, Themiso, ceterique ad hæc usque tempora principes Medici, majores extitère. Magni facti sunt, quòd inter multa similia & morborum & remediorum genera observaverint, quòd potissimum medendum sit. Profectò Medicus is est, non ille tantum, qui plus legit aut differit uberius, sed qui pluribus ægris præest, naturam sapienter interpretando ducent. Quis unquam hæserit anceps, medendi artem per varios sapientesque usus firmari? Ergò, qui mutam olim, nunc loquacem fortè nimis vult artem exercere haud inglorius, ex naturæ penu observet & definiat id, quod manifestè primò & per se actiones lædit. Quid valeat perspiratio, ejusque dotes noscat, & indolem. Hæc si, aut copiosior, aut præpedita, innumeros penè morbos facit. Evidens igitur, non Metaphysica, ad medendum causa apprimè requiritur. An initium morbi fecerit fames, an satietas, motus, an quies; excreta, an retenta; & quæ similia sunt; ut animi perturbationes, quæ mentem corpusque adeò movent. Eâ, quæ simul cum morbo cadunt, exploranda diligenter, & propria à communibus sedulò dirimenda sunt. Ità Medicus, naturæ semper contemplator, adjutor, minister, cogitat ratione, judicat experienciâ, observatâ meditatione expedit. Ab eâdem namque causâ, morbi non nascuntur omnes. Hinc, qui Epidemicus, non vernaculâ, sed eâdem raptim sæviente causâ deprehenditur, ut olim in Græciâ, nuper in Galliâ. Endemius ab aëre & vivendi modo, alicui proprius est regioni, ut Alpinis Broncocele; Phthisis Anglicæ genti; Danis Scorbutus; Strumæ Hispanis; Polonis Plica; Indis Venerea lues; Variolæ Arabibus, qui omnium primi hanc luem incognitam Græcis, varias in regiones asportarunt, hoc anno Gallis, & omni ætati, infestiores. Qui sporadicus est, signis nulli regioni nullique genti propriis, nec communiter grassantibus, explicatur. Ità species & causæ morborum dividuntur observatione: Ità Medicus morbum metitur, non essentiâ, non systemate, sed effectibus & affectâ parte. Universalem, afficiendo corpus universum, Cachexia, Febris; peculiarem, Calculus, Colicus dolor, declarant morbum. Hic Idiopathicus, Sympathicus alter, & uterque in se invicem & vice versâ

A iij

cereus in mutationem flecti, patet observatione solâ. Sic ducit observatio ad veritatem; sic prognosis instituitur certior, diagnosi ritè deductâ; sic non turbanda, tutius expectatur, crisis; sic morbum, qui noverit, ipsum jam penè profligavit, si sanabilis est. Non tractandis ergò suspicandisque rerum causis abstrusioribus; sed intelligendis veris effectibus, vera salutarisque Medicina est. Ex iisdem profectò effectibus, morbi præsertim Epidemici, ferè semper præeuntes in nosocomiis, certò prævidentur in urbe mox futuri, & certiùs curantur datâ priùs observatione. Quis nescit insuper, in quolibet individuo notitiam proprietatis requiri, pro ætate, sexu, temperamento, conditione, vivendi modo, regione, tempestate, animi pathematis? Reverà tantò magis necessaria est observatio, quantò magis obnoxia est offensionibus corporum infirmitas.

V.

DO L O R igitur ubi incidit, scire oportet, quid doleat, & undè? Id curare non potest, quod ægrum est, qui, quid sit, ignorat. Hinc observationis necessitas ex omni parte. Ex dissectis corporibus, quædam licet adhuc non detegantur, suspiciuntur detegenda, detecta firmantur. Medicus ità ducitur ad partis structuram & usum, mali sedem, causam propriam, cognitionem symptomatum, exactam æquamque applicationem medicaminis. In aperiendis ergò cadaveribus, quàm diligens & utilis observatio! Quis dubitaverit unquam, compertis interioribus & sedibus & figuris, certiùs ferri iudicium auxiliumque? In Gastro-Raphiâ ex situ vulneris, teli naturâ, specillo, excretionis modo & conditione, affecta pars cognoscitur. Si lividum nigrumque intestinum caret sensu, foetorem exhalat & putrescit: Si livescit tantùm à sanguinis stagnatione: nùm dubia prognosis? In primo casu omnis Medicina, inanis; in altero, Medicinæ, sed non procrastinandæ, datur adhuc locus. Tunc aut nunquam, ampliori citò factâ, ut par est, abdominis aperturâ, ità reponi intestinum debet, ut, quod posterius relapsum est, priùs reponatur, & intestini servetur ordo. Epiploon exin considerari debet. Si integrum, balsamicis vulnerariisque recreatum priùs, super intestinum recondatur; At si quid jam nigri aut emortui est, idque si constat, haud cunctanter excidatur. Quis id operis præstabit, qui, quid integrum, quid corruptum sit, non observaverit priùs? Pronuntiabit tunc Medicus, interioribus ritè compertis, vulnus nimis intumescere, periculosum; nihil intumescere, periculosissimum. Quare? Hoc emortui corporis, illud magnæ inflammationis indicium est. Magno igitur in vulnere, dum urit inflammatio, perseverans non ità reformidanda febris: perniciofa imò, si levi accedit vulnere, sique cum delirio exasperatur. Periculum haud dispar est, in nervosis partibus, nervisque vulneratis, si nervorum rigorem distentionemque ortam ex vulnere, ea fe-

bris non finit. Cognito, ne dubites, sanguinis circuitu, methodus datur efficax in vulneribus non tantum, sed ferè in quolibet contra naturam affectu, ad temperandum, revellendum, derivandumve sanguinem. Is, ut vitæ, ita mortis, autor est, si copiâ aut pravitate peccet. Rarò aut nunquàm naturali penuriâ deficit. Ideò si labor, aut exercitium non augetur; si non imminuitur ciborum copia, præsertim in quibus periodica menstruave purgatio, aut vacuatio quædam solita deest, in iis, ut in quibus stupor, aut tarditas, aut, cum vertigine licet fugaci, lentor, aut quid ejusmodi persentitur insolens, in iis citò tutòque sanguis debet extrahi. Sic tussâ prudenter venâ, affectus soporosi præcaventur, modò tamèn præpeditæ vacuationi respondeat mittenda sanguinis portio redundantis. Plerhoræ non tantum, sed & cacoehymia succurrit phlebotomia; impuræ plenitudini præsertim biliosæ confert, licèt melancholicæ parcius, & pituitosæ minimè omnium. Venæ sectionis dotès in omnibus internis externisque inflammationibus, quis ignorat? Non senibus, non pueris, non parientibus difficulter, adversa est, si cum observatione celebretur; imò salutaris. Ejus numerum & copiam, non arbitrium, non opinio, sed morbi magnitudo, conditio extracti sanguinis, virium robur, symptomatum remissio, indicant. Si magnus morbus est, amplè & frequenter, sed rarissimè, ut vetus mos erat, nisi tamèn in magnis vulneribus, extrahatur sanguis ad animi deliquium. Indè mulier, sectâ venâ, abortiebat olim. Oppressæ interim à languidis distinguantur vires. Quò major earum oppressio, eò felicior detractio sanguinis: Sic expediuntur hùc usquè vires impeditæ. Quâ ex parte sit mittendus sanguis, declarat ex affectâ parte observatio. Si corpus laborat universum, quæcumque incisa vena sit, modò sit è majoribus, juvat. Si attonito morbo jam perit æger, missio, è brachio, pede, ferè incassum sanguine, jugularis, quæ itèm in Anginâ & Epilepsiâ, secanda est; quidni & arteriotomia, quæ pariter multum proficit & in Phreniticis. Tunc parti succurrendum est laboranti. Derivatione citius, lentius revulsione opitulatur sanguinis missio. Dubium sit in extremis præsidium, illud experiatur idem, qui medetur naturæ imitator: interdum morbus vincit artem, & tunc, ut natura, ars ambigit. Hic, auxilium anceps satius est, quàm nullum experiri: qui non agit, occidit; ab arte solâ superest spes. Dùm ergò debacchatur & furit humor, omnis omnisque generis requiritur Medicina. Sic trux & exlex natura in Epidemicis subito incurrentibus, ipsorumque primo insultu morborum concurratur, an mors, an victoria? Observatio sola, ipsâ naturâ tunc dux certior, his & similibus angustiis, monstrat viam, quâ deteguntur, & morbi causæ, & symptomata, & genera speciesque remedium, quibus succurratur & convenientioribus. Punctum hîc est curationis, detrahendo sanguinem quàm citò, si tamèn vires sinant,

eius indolem explorare, sedare impetum, motum regere. Extractus sanguis, si solvatur more fluentis aquæ, densetur; liquetur, si concrescat. Sic, fibrarum tono ritmoque reddito, atque secretionibus revocatis, sanguis ipse repurgatur à sordibus. Id ignorat vulgus iners, ignitis ignea miscendo inscienter. At sint ignis opus salia, nihil ad medentem; modò ex observatione, sed non fugaci nudâque experientiâ, stybium fuscâque benè præparatos humores expellat; kermes minerale vacuationes excitet; sal sedativum spasmodicos temperet motus; martiata obstructions levent. Sic exlex tunc natura sensim regitur observatione; sic methodus medendi, humoris propriâ conditione, motu, inclinatione, certò nititur. Igitur, ubi vacuantibus opus est, vehementiùs densa: laxa, mitiùs movenda sunt corpora. At, nisi primis in viis materia turgat, semper sit habilis ad exeundum humor. Secùs, meatuum obstructio phlogosim parit morbo pejorem. Verbo dicam, non systemata, non eloquentia ex mente Celsi, non vulgaris fictave formula, non arcana, non ipsa medicamenta; sed remediorum applicatio sapiens, & inventio occasionis in morbo, declarant verè medentem; interim adhibitâ & semper exactiori victûs ratione, quæ, itè in chronicis, morbisque præcavendis mirè juvat.

Ergò, Ars medendi tota in Observationibus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius Nicolaus Guénault,

*M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prode-
monstraor.*

M. Joannes Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.

M. Paulus-Jacobus Malouin, Scholarum Professor.

M. Franciscus Mery, Chirurgiæ Gallicæ Idiomate Professor.

M. Michael Procope Conteaux,

M. Joannes-Baptista Boyer, Regis Consiliarius, & in Senatu Parisiensi Medicus ordinarius.

M. Joannes-Baptista Dubois, Professor Regius.

M. Joannes Claudius Adrianus Helvetius, Regis à Sanctioribus Consiliis, Regiæque Medicus Primarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius Veteranus.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS EXUPERIUS BERTIN, Rhedonensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1739.
à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1739.